



~~11-58~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
11-58
SIGNAT. clvccccxiii.



IMPERATOR BELLICUS

Philosophâ sententiâ
conceptus,

*Et Oratorio charactere adumbratus, in umbratili cam-
pi Martii Elisabetani arcâ*

per VIII. Adolescentes ac IV. Pueros
NONIS V. til.

A. C. clō Ioc XLIV.
repræsentatus,

curante

CHRISTOPHORO COLERO
Historiarum Professore.

BRESLÆ, Exprimente BAUMANNO,



Lectori Togato, aut Sagato, aut utriusq;

rei prudentissimo

CHRISTOPHORUS COLERUS

S. D.

Cum nuper à quodam rerum civilium peritissimo Viro, & singulari ingeniorum & studiorum Patrono (cujus nomen propter innatam hominis modestiam, omnia quicquid cum industriâ sine ulla agendi ostentatione agentis, invitus oblittero) de Actu aliquo Oratorio, ut vocamus, extra ordinem instituendo verbis efficacissimis compellarer, Deus bone, incredibili dictu est, quanto gaudio hoc peccatus exiit, ut non tam onus illud labens in humeros susceperim, quàm nostræ bonarum mentium officinae gratulatus fuerim, tam benignum bonæ spei signum aut beneficium sidus ipsi illuxisse. Sed cum idem Politicus vir non argumentum meo arbitrio aliquod civile et pacis artibus conveniens, à quibus beneficio historiae et politicae scientiae mediocris non abhorruissem, eligendum permiserit, sed militare, & quidem omnium bellicarum functionum summum, de Imperatoris bellici perfectio characterè tractari maluerit, totus inhorruui, adeo ut ille agrè mihi hoc temerarium ausum persuaserit. Verebar enim fore quosdam Martios pullos a versos planè à nostris studiis, qui, ut Hannibal olim Phormionem Philosophum de Imperatoris officio & omni re militari, aut Cleomenes Rex Lacedaemoniorum, Sophistam nescio quem de fortitudine bellicâ disserentem, eluserunt, me solutis itidem cachinnis eluderent; quod homo umbraticus delirare, & ut hirundo garrire, non ut aquila magnificè dicere auderem. Quippe qui ex conscientia facti probe scirem, me nunquam hostem, nunquam castra vidisse, nunquam deniq; partem ullius bellici muneris attigisse. Ille verò hortando me acriter urisit, ratus Plinianam illud, in studiis homines magis timorem, quàm fiduciam decere, de adolescentibus potius quàm de viris intelligendum esse; nec destitit, donec condicerem. Inter prima autem argumenta persuasoria erant, me in studio Politico hætenus aliquos fecisse profectus; unde, si partem militarem ab urbana planè excluderem, fore claudum altero pede hoc genus studii, & me existimationis ante hac partæ jacturam facturum. Et sanè, si è promiscuæ plebis fœce, nonnemini in circulis, triviis, symposiis frequentes sint, qui de auspicio, ductu, et imperio militari, de exercitu lustrando, castrorum metatione, signorum collatione, oppidorum oppugnatione & propugnatione, commeatu, præ-

sidiis

sidiis inferendis aut impediendis, de furtis belli faciendis aut evitandis, deq; reliquis rebus accidentibus, aut bellum constituentibus, aut concomitantibus, fabulari, permixtum est; quidni ex mente & ore Sapientum Veterum & recentium, rectius tibi informato liceat judicare, ille idem insperat. Nam (rationatus) licet profanus aliquis in his sacris tibi aculeatis dictis ogganniet, qualibus Iphicrates quantumvis summus sua etate Dux, petitus fuit, quis tu es, qui tantos tibi spiritus sumis? utrum eques, an sagittarius, an veles, an legionarius, an Dux: ei respondebis, non quidem ut ille, nihil te horum esse, sed qui scires tamen illis omnibus imperare, sed conceptis verbis sic: non ego sum Dux nec miles, sed ut Lipsius meus aliquis auctor, qui etiam sagatis beneficio memoria rerum & hominum, ac judicii alicujus consulere possim, & consuadere, ac, si non manu, tamen mente me componere in praeliarem statum strenue cum Aristophane,

— Consilio, calamis, & lingua pugnaturus.

Quod verè solide eruditus in literis Politicis & Historicis, de militia studiis & actionibus, rectè sibi judicium sumere possit, docent non tantum ipsi Reges & Principes, sed etiam Viri extra campum Martium, Curiam, & forum constituti. Nam, ut de Principibus initio dicam, quid aliud Alexandrum M. qui Homerum vatem etiam militia magistrum sibi delegit, Scipionem Africanum, qui Padian Cyri nunquamè manibus deposuit, Lucullum, qui proficiscens ad Mithridaticum bellum, rationem belli in cursu maritimo precepit; Cesarem & Pompejum, aliosq; innumerabiles Viros, bello admirabiles fecit, quàm assidua historiarum & Annalium Veterum Lectio? Memorabile est, quod de Carolo V. Imp. & Soleimanno Turcarum Domino Jacobus Strada annotavit. Carolus V. C. Caesaris Commentarios diligentissimè evoluit, adeoq; sibi hunc auctorem & scriptorem rerum familiarem reddidit, ut si quando cum familiaribus suis de Cesare loqueretur, ejus memoriam visus sit adorare. Unde cum Soleimannus, qui pridem credidit præter virtutem bellicam, divinum aliquem spiritum aut genium illi inesse aut adesse, cujus ope tanta tam fortiter moveret, & tam feliciter promoveret, recognovisset, Carolum præcipuè Caesaris Commentariis oblectari, eosdem collatis diligentissimè undiquaq; conquisitis exemplaribus in Arabicam linguam versos postea summâ cum curâ & studio ad exemplum Caroli evoluit. Quo factopostea in multis politicis & militaribus Soleimanni ratio Juliana & Carolina maximè imperatoria eluxit, uti ex fide Historicus Cesareus ille retulit. Quod

Viros verè in eruditis umbris & otio sapientis latentes attinet, (ut præteritis veteribus quorundam recentiorum mentionem faciam) de magni nominis Critico Adriano Turnebo, Regio Parisiis Professore, senserunt viri summi, quod, licet rerum civilium & militarium tractatu & usu radis fuisset, tamen bonitate quadam & rectitudine iudicii de illis prudentissimè censuisset. De Georgio Buchananò Scotorum Pœta & Historico celeberrimo refert Thuanus, eum quamvis in pulvere scholastico versatum, tamen propterea non minùs rectè de maximis rebus censere potuisse. Hujus naturalis iudicii & felicitis prudentiæ aliquando illustre dedit documentum Scotus ille in Gallia, cum Brisfaci Gallici ducis liberis formandis præfectus esset. Nam cum in domo summi Ducis tribuni alii in medium consulerent, Buchananus fortuito adveniens, audit à sibi improbabili quadam illorum sententiâ, obmurmuravit consultoribus, non sine risu Martis pullorum exceptus. Unde à Brisfaco domestico suo Patrono sententiam dicere iussus, liberè consilium suum exposuit, quod postea felicitissimum eventum habuit. Facetum, etiam & falsum est apud supra laudatum Gallicum Historicum, quod ibidem addit; Petrum Ronsardum, principem Gallicæ Veneris pœtam, & ceteroquin virum acerrimi iudicii, cum de Buchananò, Turnebo, Antonio Goveano J.C. & Mureto verba fecisset, dicere solitum; illos homines nihil pedagogicæ notæ præter togam & pileum (ut in Gallia certo habitu incedunt) habuisse, & tamen de vulgo pedagogorum sic censere, nunquam incorrigibilis ineptiæ ex pedagogicâ contractæ characterem, vel longissimi ævi curriculo deteri posse. Horum in numero nisi haberemus Justum Lipsium, præceptorem illum humani generis cum paucis comparandum, videri posset, ipsi obesse, quod nostro seculo natus. Is toto vitæ tempore quidem Encyclopædian studiorum trinodi hac conjunctionis copulâ, scientia, sapientia, & prudentiâ, construxit; sed præcipuè prudentiæ speculum, non tantum consummatim in tessallato illo Politicorum Opere, ac saltuatim in Epistolis & aliis, micantia velut sidera inseruit: sed etiam pragmatica dignus auctor et actor esse visus est; adeo ut à maximis Hispaniarum Monarchis Patre & Filio Philippis II. & III. Historiographi Regii nomen & munus cum lauto stipendio nactus, & à Serenissimis Belgii Principibus Conjugatis Alberto & Isabella in Consilium illud arcanum, quod Status vocant, allectus fuerit: nisi vir ad modestiam natus pro veteri suo decreto, à Rep. atq; aulâ abesse, & dignitatem mereri quàm habere maluisset. Deniq; iniecit etiam Suasor ille; militaribus quoq; ingenis

geniis plerisq; subtilitatem pacis artium deesse, quia castrensis jurisdictio securae
& obtusior, ac plura manu agens calliditatem fori non exerceat: Excellentibus
ingeniis citius defuturam artem, quam civem regant, quam hostem superent: ac
Lege Imp. sufficere, ut milites arma magis, quam jura sciant. Exempla etiam
in historiis esse obvia contendit. Marius certe, teste Plutarcho, ornamentum &
decus sui seculi tempore pacis veluti bellicum instrumentum, neglectum, obsole-
vit, adeo ut de eo illud Plautinum recte dici possit:

Vt saepe summa ingenia in occulto latent!

Hic qualis imperator, nunc privatus est!

Hoc evenit etiam Hannibali, qui virtuti & fortunae Romanae obex & scopulus
quasi oppositus, à multitudinis fremitu perturbatus dixit: Novem annorum à
vobis profectus, post XXXVI. annum redii. Militares artes, quas me à puero for-
tuna nunc privata, nunc publica docuit, probè videor scire: urbis ac fori jura,
leges, mores, vos me oportet doceatis. Quanquam, ut nonnulli togatorum re-
rum militarium non ignari sunt, ita & nonnulli sagatorum suam militiae excel-
lentiam felici pacis artium temperamento condiderunt. Ejusmodi ambidexter
laudatur Agricola à Genero suo, quod naturali prudentia, quamvis inter toga-
tos, Jurisperitorum artificia non calleret, tamen communi eorum, quae scriptis
legibus continentur, intelligentia instructus facile justèq; ageret. HOC itaq;
AGE, veteri formulà, me Monitor ille instigavit, & condic cum bono Deo ope-
ram tuam tam laudabili instituto: quod, nisi tui ingenii & virium fiducia,
alienam tamen & subsidiariam Historicorum, ut & rerum civilium militariumq;
scriptorum, fiat velim: qui tibi verba & sensus suggerent, quos nec Annibal ali-
quis, Cleomenes aut ipse Caesar audire abnuat. Sanè illi veteres & novi sapien-
tes; inclitiq; viri fuerunt, qui vel judicio naturali (quod Prudentia filius Comi-
neus sensum Communem appellat: sine quo aceto omnis eruditio vappa & fungus
est) facile praeviderunt, aut interfuerunt & coram viderunt, aut etiam prae-
fuerunt bellis, & praeviderunt, aut in Curiiis aut Concionibus populorum versati,
ubi assidua pacis & belli materies & tractatio sub manu nasci solet, cognoverunt.

Tandem victus manum dedi, eam tamen lege, ut mihi καλὸς ὁ δῆνα, Archite-
cturae Civilis & Militaris ἀρχιτέκτων & artifex (cujus nomen domi & foris cla-
rissimum hic coactus obvelo, ex praescripto Symboli ejusdem, quippe Esse mavult
quam Videri) consilio re et operam in Architectonicis utrisq; re tormentaria, et acie
struendam, atq; universim in exhibendo Imperatore belli, adesset. Quem-

Quemadmodum enim curiose & meticulose matres contra fascino & veneficiam infantibus suis amuletum aut præbium quoddam de collo appendunt: ita ego me militaris hominis auctoritate & præsidio contra cachinnos Hannibalis aut Cleomenis præmunio. Summatim in brevi hac chartaceâ tabellâ, LECTOR, arbitranda habes, ex præscripto Ciceronis & Lipsii, signa & notas veri legitimiq; Ducis, scientiam militarem, virtutem, providentiam, felicitatem & Auctoritatem: & exinde propullulantia, Consilia, Strategemata, & quæ Ante Pugnam, In Pugna, et Post Pugnam, Duci scitu et factu necessaria sunt. Sed si longior mihi temporis usura, & maturius mihi copia prolixi De Studio Militari Operis, quod Gabriel Naudeus Politicorum Bibliothecarius prodidit, facta fuisset, plura & accuratiora fortasse excerpta, Quæ ante prælium, in prælio, post prælium Duci observanda, proposuissem. Sufficiat hac vice ista Scyagraphia & levis adumbratio, reservatis reliquis commodiori occasione & altiore curâ non nisi per otium maturandis. Hoc itaq; LECTOR Togate & Sagate, esto contentus Catone. Reliquum est, ut paucis saltem attingam, à quo, & in quem finem, hic Actus Orationis institutus sit; atq; ex quo fonte hæc Donativa Militibus illis Minorvalibus delectis distribuenda promanarint. Pietas est, quod mirere, militaris, FRIDERICI JUNGERMANNI, Vratislavia quondam cohorti primipilari Pedum, Rei Tormentaria, & Architecturae Militari per multos annos Præfecti, cujus solertissimo ingenio & fidei non pauca sua intra- & extramæniana Opera metropolis nostra nunc munitior debet. Oriundus hic est ex familia insignium in toga & sago genitrice virorum. Nam hic Martius pullus eximium Parfratrum habuit; ipse medius-majorem natu GODOFREDUM Juris et Humanitatis consanguineis disciplinis celebratissima fama virum, Judiciiq; provincialis Lipsiæ Assesorem antehac gravissimum, minorem natu LUDOVICUM, Altorfia experientissimum Botanicum. Nostri verò JUNGERMANNI relicta Vidua, SÜSANNA FÜRERIA, singulare matronarum decus, & in conjugio ac orbitate extra leges castitati devotissima (quippe quæ sine exemplo præter maritum impensissimè sibi dilectum non facile ullius viri aut convivæ aspectum & alloquium in Conclavi suo admittere solita) & quasi quædam Vestalis; quæ Maritum Anno contagiosissimo XXXIII. hujus Seculi currentis præceptum XXXVII. secuta, paulo ante excessum suum, non mediocrem Stipendii maritalis residui summam, ad pias Causas, ut vocant, piissimo sanè instituto legavit: prudentiaq; Curatorum

rum Testamenti relinquens, ut cum iudicio in eos, quibus bona mentis soror, & germana Philosophia foret, quam Paupertatem dicimus, usuram distribuerent. Cum itaque superiori anno diligentissimi ultima Voluntatis Matronalis Exsecutores, suo assu precipue & persuasu Collegæ sui, singularis Musarum Patroni, unanimes Docentiam in Ludis nostratibus Ordini liberale Congiarium superiori anno obtulerint, hoc vertenti nunc Discentium egentiorum præfinito numero certum Donativum in utroque Gymnasio publicè dependere voluerunt: aliis, ut puto, in exemplum, simile Juventuti in castris Musarum militanti, calcar, præmiis liberalibus, quibus certè omnia pervia, subdendi. Quippe virtutibus præmia debentur: nec bene factis tantum ex conscientia merces suffici. Ac ut militibus præmia militia: ita & Minervales nostri præmia studiorum pulcherrima cogitant. Contra præmiorum absentia, si non detorquet in deterius, tamen hebetat sincera rectaque ingenia; uti disserunt incomparabile ævo suo civilis Eloquentiæ & Prudentiæ Compar Tacitus & Plinius, gemellæ deliciae meæ: quorum monitis, vel potius Oraculis, tanquam gemmis & inestimabilibus unionibus te donatum dimitto: hoc in super præloquio, quasi promulsidæ, ad Fercula Secundam in Prytaneo bonarum mentium Elisabetano Convivaturum nobiscum, Te, LECTOR TOGATE ET SAGATE, lætus libensque invito. Vale, veni, fruerè, & fave. Scrib. Vratislav. Kal. V. il. A. C. cl. lxx XLIV.

SERIES



SERIES PERSONARUM & MATERIERUM.

1. *Primæ Prefatrices et benevolent conciliatrices versu Latino & Germ. alternantes ex Plutarcho & Dione Cassio premittent*

1. *Simon Grundman Hirschberga-Falcohainens. Chabria Ducis Atheniensium dictum: Terribiliorem esse cervorum exercitum, Leone Duce, quam Leonum agmen, ducente cervo.*
2. *Christophorus Pomarius Strisa-Olsn. Contrarium Chabria dicto Imp. Antonini Philos. Nec Aquilam Graculorum Ducem, aut Leonem Hinnulorum aptum esse ad bellum gerendum.*


Personæ

Media Oratrices ex prescripto Ciceronis & Lipsii agent

1. *Godofridus Hempelius Vratisl. de Ducis belli Scientiâ Militari.*
2. *Jacobus Wildius Gripho-mont. De Virtute.*
3. *Georgius Colerus Lignic. De Providentiâ.*
4. *Johannes Fiebingius Vratisl. De Felicitate.*
5. *Abrahamus Klimpkus Fischbachio-Hirschbergensis, De Auctoritate.*
6. *Christianus Stief Franco-steinensis, De Consiliis bello necessariis.*
7. *Johann. Dobenecker Vrat. de Strategematis.*
8. *Job. Jacob. Müntzer. Vrat. Quid Duci Ante Pugnam, In pugna, et Post pugnam, faciendū?*

3. *Ultima Peroratrices & gratiarum actrices versu Latino & Germ. alternantes, subjicient*

1. *Christoph Strobachius Vrat. Præmissa Generali ad Pacem Adhortatione, victis esse petendam bonam & tutam pacem.*
2. *Christophorus Tschirnerus Neapoli-Sil. Iterata alia ad illam eandem Adhortatione, Victoribus esse decorum pacisci.*



Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3
002 686 287



Sb,

VD17
Sep. 2000 Pd.







39

ATOR

ICUS

sententiâ

ptus,
umbratus, in umbratili cam-
sabetani arcâ

ntes ac IV. Pueros

V. til.

IOC XLIV.

entatus,

nte

RO COLERO

Profesfore.

ente BAUMANNO,